


Hermann Christoph Engelken

Programma Paschale, Quo Rite Celebrari Festum Resurrectionis Christi, Modo Pie Celebretur, Ostendit, Sicque Cives Academicos O. O. Honoratissimos Et Æstumatissimos ...

Rostochii: Typ. Jo. Jac. Adleri, [1740?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775644995>

Druck Freier  Zugang





Programmata omnia festiua ab A. 1731 - 1740. incl.

1731	1.	Prog. Passionale	M. D. D. Io. Ioach. Wedneri	De ieiuniis
	2.	Paschale		De resurrectione C. allegorica
	3.	Pentecostale	D. Jacobi Carmon	De festo Pentec. eundemq. supplemento
	4.	Michaelis		De S. Angelorum divinitus
	5.	Natalitium	D. E. J. F. Mantzel	De S. pentecostis nostri Natalitias.
1732	6.	Passionale		De uno hoied C. eum res eorum res vestimenta
	7.	Paschale		De S. Chrono regali, palam, trophis triumphali.
	8.	Pentecostale	D. De Deharding	De Sp. S. medico genuino.
	9.	Michaelis		De potestate Anglor. Annonaie pfecto.
	10.	Natalitium	D. Christo. Mat. Burchard	De vitanda in vobis. Pylipetia, inordalitate
1733	11.	Passionale		De damno factu pharisaico e diuino.
	12.	Paschale		De bonis resurrectionis.
	13.	Pentecostale	D. Franc. Alb. Acpini	De seruitute in unitate Spiritus.
	14.	Michaelis		De Angelica horum custodia
	15.	Natalitium	D. Henr. Christo. Engelen	De duplici Salsburgens. benedictus
1734	16.	Passionale		De Salsburg. de spirat. C. aegardibus
	17.	Paschale		De Salsburg. cum C. g. mancher et exaltati.
	18.	Pentecostale	D. Jac. Carmon	De missione Sp. S.
	19.	Michaelis		De angelis tutelariibus non colendis.
	20.	Natalitium	D. E. J. F. Mantzel	De Difficili diu. p. S. C. in hincplacit. voga
1735	21.	Passionale		De spectaculo S. C. amoris nostri.
	22.	Paschale		De S. C. videtur, veniente, viniente.
	23.	Pentecostale	D. G. Christo. Deharding	De Sp. S. de C. h. f. monis.
	24.	Michaelis		De angelis. honor. officio imitarii Egypto.
	25.	Natalitium	M. Jac. Christo. Wolff	De mysterio incarnationis mirando, o mirando.
1736	26.	Passionale		De S. C. mediatore non in uno, Gal. III. 20.
	27.	Paschale		De vidensissima resurrectione S. C.
	28.	Pentecostale	D. J. A. Acpini	De Sp. S. p. gloriae et deip. Petr. IV. 14.
	29.	Michaelis		De angelis. Pandi, eum Dei legati.
	30.	Natalitium	D. Io. Christian. Burgner	De mysterio picturis I. Tem. III. 16.


Schmidt

- 1737-31 Progr. Puff. Mill. D. Io. Chr. Burgmann De C. sanctissim. offerenti, Act. 18. 14
32. --- Paschale --- --- --- De C. cy angustia et iudicabili, Act. 53. 4. 1. VIII
33. --- Pentecostale --- D. Matthias Benoni Heing De officio sp. S. paraclitico.
34. --- Michaelis --- --- --- De adont relig. cultu angelor. non ostendend.
35. --- Natalitium --- D. Io. Petri Nymis De civitate divina et terrena.
1738. 36. --- Paschale-Passionale --- --- De festivit. quinquagesimalibus.
37. --- Paschale --- --- --- De solennitatibus Paschalibus.
38. --- Pentecostale --- M. Jo. Sid. Fugle De sp. S. non extinguendo, 1. Thes. 1. 1. 29.
39. --- Michaelis --- --- --- De egrediente angelor. ad terra. 1. Tim. 2. 10.
40. --- Natalitium --- D. Chrs. Mart. Burchardi De C. Dominis pacis.
1739. 41. --- Passionale --- --- --- De C. Rege et favore iustis.
42. --- Paschale --- --- --- De I. C. vis et unice redemptore.
43. --- Pentecostale --- D. J. A. Aquini De C. quinquagesimalibus sp. S. De fidelium adoptione.
44. --- Michaelis --- --- --- De Chrs. in Angelos malos officio.
45. --- Natalitium --- D. H. C. Engelken De tempore Nativit. C. cum aliis 17. 1. 1. 1. 1. 1.
1740. 46. --- Passionale --- --- --- De tempore passionis C.
47. --- Paschale --- --- --- De tempore Paschali.
48. --- Pentecostale --- D. Jac. Carmon De sp. S. in Evangelium veniente, 1. Cor. 12. 10.
49. --- Michaelis --- --- --- quo facti in altera vita dicamus 1. Cor. 13. 1. 1. 1.
50. --- Natalitium --- D. P. J. T. Muntzel De regni gloriae Dei, pacis et tranquillitatis animi ad Canon. 5. 1. 1. 1. 1.

Mecklenburgische
Landesbibliothek
Schwerin

50 Programm 1737-40

10



J
Phil
P
ON
P
T



PROGRAMMA
PASCHALE,

QUO
RITE CELEBRARI FESTUM
RESURRECTIONIS CHRISTI, MODO
PIE CELEBRETUR,
OSTENDIT,

Sicque
CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS
ET ÆSTUMATISSIMOS,

AD

*PIAM SANCTI HUIJUS FESTI CELEBRATIONEM,
PRO OFFICII PRÆSENTIS RATIONE,
DECENTER EXTIMULAT,*

HERMANN. CHRISTOPH.
ENGBERGEN,

SS. THEOL. DOCT. EJUSQUE PROF. P.O.FACULT.
THEOL. SEN. Ad Æd. Jo. PAST.
H. Academiae Rostoch. RECTOR.

R O S T O C H I I,

✻ ————— ✻
Typ. JO. JAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACADEM. TYPOGR,

(1740.)



בשוקכה

*Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona rediisse suo.
Namque triumphanti post tristia tartara Christo
Undique fronde nemus, gramina flore favens.
Legibus inferni oppressis, super astra meantem
Laudant rite DEUM, lux polus, arva, fretum.
Qui crucifixus erat, DEUS ecce per omnia regnat;
Dantque creatori cuncta creata precem.
Salve festa dies toto venerabilis ævo,
Qua DEUS infernum vicis, & astra tenes.
Nobilitas anni, mensuræ decus, alma dierum,
Horarum splendor scrupula, puncta fovens.*

ITa salvere jubeo præsentem, quæ per DEI gratiam feliciter
illuxit, festam diem Paschator, victorioræ Servatoris nostri
optimi, resurrectionis nunciam, ex facundissimo ore La-
ctantii, vel potius Venantii Honorii Fortunati, ad Felicem Epi-
scopum, de Pascha, Opp. Lactantii Firmiani p. m. 749. Salve-
re & Ver, Civis Academia O. O. honoratissimi! jubete festam hanc diem.
Una

Una omnium vox hodie læto personet concentu: *Salve festa dies toto venerabilis ævo.* Sed quodnam Vobiscum, laudabili majorum more, communicaturus sim argumentum, quo amœnam vestram fuscitem voluptatem, fuscitatamque magis magisque adaugeam, conjectura haud vana augurari poteritis facillime. Quia enim optata *Natalium Christi tempestate* commonstratum dare studui, *Rite celebrari festum Nativitatis Christi die vigesimo quinto Decembris, modo pie celebretur,* nec minus de gemina postea præcipere elaboravi materia, nimirum: *Rite celebrari tempus Passionis Christi, modo pie celebretur,* ipsa velut necessitatis lex mihi imperare videtur, ut brevi verborum compendio suscipiam in præsens ostendere: *Rite celebrari Festum Paschatos, modo pie celebretur.* Dari hic quoque, quæ solennitati feriarum Paschalium opponuntur, inficias non eo. Nolo cuncta, quæ ob stare videbantur, operose afferre in scenam. Nolo, quæ forte de tempore agitati, in Ecclesia DEI, Paschatos festi, urgeri poterant, proluxa recensere opera, & disquirere: An id ipsi Resurrectionis miraculo respondeat, novimus enim, sanctam alicujus beneficii divini memoriam in publicis etiam congressibus restaurare licere, quamlibet id ipsum alia fortassis contigerit tempestate, ut alias me jam commemorasse, probe memini. Hinc non est, cur refragemur canæ *Concilii Nicæni Imi, constitutioni,* solennem festi hujus celebrationem, ab omnibus Christianæ fidei Cætibus, die Dominica, plenilunium æquinoctii verni, insequente, instituendam esse, fancienti, potius piam *Augustini meditationem Sermonis CXLIII. de tempore, Opp. Tom. X f. 205.* debita contemplemur attentione: *Ipsa temporum ratio Paschalem terminum vernali dedicavit æquinoctio, expectato duntaxat sequente primi mensis plenilunio, ut sicut ab inferioribus Sol in altum proficiens, primum nunc adæquat longitudine noctes, luna etiam per diurna suæ lucis incrementa videtur esse plenissima; ita resurgens ab inferis Sol justitiæ Ecclesiam eatenus in tenebris constitutam, suo illustraret lumine.* Compara *Eusebium Historiæ Ecclesiasticæ Lib. V. Cap. XXIII. p. m. 190, de vita Constantini Lib. III. Cap. V. sqq. p. 485. sqq. Quensbed. Antiquitatum Biblicalium & Ecclesiasticarum Part I. Cap. XI. p. 874. sqq. Heineccium in dex. Abbildung der Griechischen*

Kirchen, Part. I. Cap. 3. p. m. 123. sq. In eo: duntaxat profligatissimos mortalium animi convertemus aciem, qui sanctissimum hoc festum haud recte celebrari proclamant, ea ex causa, quia ipsam resurrectionis Christi veritatem in dubium vocandam, imo plane negandam esse, sibi & aliis insigni persuadere discipiunt vesania. Non hic Judæorum excitabo agmen, non aliorum, qui Christianorum nomine nunquam convestiti fuerunt, accersam turmam, sed res mihi tantum erit, cum duobus Atheorum ac Empæctarum facile Principibus, altero vetustiori, scilicet *Benedicto de Spinoza*, altero recentiori, *Thoma Woolsono*, quorum uterque pro miraculosa Christi resurrectione destruenda ac labefactanda velut pro aris & focis propugnat, prior vero alteri arma subministrasse, ac tetram prævisse videtur tam temerarium ausum viam. BENEDICTUS itaque (rectius: Maledictus) SPINOSA, ex Judæo factus monstrum, ac Christianæ religionis irrisor (de quo comparari queunt *Job. Colerus*, Pastor olim Ecclesiæ Evangelico-Lutheranæ Hagæ Comitum, in *de naukeurige Levens-Bescreyving van B. de Spinoza*, sub fin. Traët. *de waarachtige Verryzenis Jesu Christi uit dens dooden*, tegen *B. de Spinoza*, vel, ex versione Germanica, *Wigandi Kableri*, in der genauen Lebens-Beschreibung Spinozæ, in calce Traëtat: *Wahrheit der Auferstehung JESU Christi*, wieder *B. Spinoza* p. m. 117. sqq, Lemgovix. 1734. b. *Kettnerus* in *Disp. de duobus impostoribus, Ben. Spinoza. & Balibasare Bekkero*, Cap. I. S. VII, *B. Kortboltus* de *tribus Impostoribus magnis*, Sect. 3. p. 139. sqq, & quæ dixi in *Examine Præadamitismè* recens incrustati Cap. II. S. 9. p. 31. ed. 2da). Hic, inquam, *Spinoza* Epistola XXV. ad *Henricum Oldenburgium*, Opp. p. m. 458. sequentem verborum saniem eructare non est verecundatus: *Christi passionem mortem & sepulturam tecum literaliter accipio, ejus autem resurrectionem allegorice. Fateor quidem, hanc etiam ab Evangelistis iis narrari circumstantiis, ut negare non possimus, ipsos Evangelistas credidisse, Christi corpus resurrexisse, & ad cælum ascendisse, ut ad DEI dextram sederet, & quod ab infidelibus etiam potuisset videri, si una in iis locis adfuissent, in quibus ipse Christus discipulis apparuit, in quo tamen, salva Evangelii doctrina, potuerunt decipi &c.* Conf. *Epist. XXIII. p. 453 sq.* Verum enim

enim vero indolendum merito est Ecclesiæ Christianæ calamitati, quæ, quæ Solis radiis extant scripta, testibusque sat multis confirmata, tam infirmissimis impetuntur ictibus. Christi passionem, mortem, & sepulturam, literaliter accipit maleficus homo. Cur ergo non etiam resurrectionem, de qua itidem Evangelista ac Apostoli luculentum satis, & in eadem ferie, perhibent testimonium, eodem literali sensu capere vult. Causa sane nulla alia subest, quam quia id ipsi non collibet, & cum infideli haud concinit corde. Discipulos porro Christi in eo, quod Christus iis apparuerit, potuisse decipi, subjungit. Sed a posse ad esse non valere consequentiam, Logicorum filii asserunt. Demonstratum ergo dare debuisset Atheus, eos omnes, de quibus, quod Christum vinculis mortis solutum conspexerunt, sacrarum litterarum monumenta significant, re ipsa circumventos esse. Hoc vero ad calendas demum Græcas commonstrabit. Nam si semel suis, aut uni alterive Christus adparuisset, haberent forte, quo mendacio speciem conciliarent homines impii. Nunc vero cum sapius, subinde & pluribus simul, imo unica vice plus quam quingentis adparuit 2 Cor. XV. 6, se ipsum evadit misere, qui tot testium ἀποστόλων labefactare fidem admittitur. Neque tantum discipulis suis apparuit, sed cum illis quoque loquutus est, cum illis cibum cepit Job. XXI. 10. seqq; illis vulnera corporis ostendit, Job. XX, 20. 27. Omnium itaque velut sensuum, quibus ejusmodi rei veritas explorari potest, documenta cum haberent discipuli Christi, nec per spectrum, ut Celsus calumniatur, nec alia ratione, decipi potuerunt, apposite scribente D. Jo. Franc. Buddeo in Institutionibus Theologia Dogmaticæ, Lib. IV. Cap. II. p. m. 1090. Neque pondus aliquod trahit Spinosa, Celsum secuti, novum, quo veritati resurrectionis Christi ægre facere defudat, inventum, Epistola XXIII, Opp. p. 453, Christum non Senatui, nec Pilato, nec cuiquam infidelium, sed sanctis tantummodo apparuisse; Nam præstruimus Petri Apostoli concionem, Act. X. 40. seqq; Hunc Jesum Deus resuscitavit tertia die, deditque eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus prædestinatis a DEO, nobis, qui comedimus & combibimus cum ipso, postquam ipse resurrexit ex mortuis. Id præcepit nobis predicare populo, & contestari, quod ille sit designatus a DEO iudex vivorum & mortuorum. Jam si Paganus aliquis,

aut qui Pagano deterior est, Pseudo-Christianus, resurrectionem Christi impugnet, ad publicam fidem provocamus cum Apostolo, nec resuscitatum tantum, sed & post resurrectionem conspicuum factum fuisse dicimus: Ὁ Θεὸς ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, Nam haudquaquam in angulo res gesta est, quæ de morte & resurrectione Christi narrantur, sed omnia in propatulo contigerunt, ut coram Agrippa, Rege, profitetur Gentium Doctor Act. XXVI. 26. Idem ad Romanos, & ipsos quidem Gentiles, scribens, causam velut peroratum allegat, Christum per resurrectionem & mortuis potenter declaratum esse filium DEI, nec proinde ulterius id confirmat, Rom. I. 3, imitor linguam B. Jo. Georg Neumannii Programmatum Academicorum Num. 21. p. m. 153. sq. qui, nonnullis interjectionis, pergit, p. 154. sq: Quodsi tamen Celsus aliquis aut Spinoza, requirat causas, cur sanctis tantum quibusdam, nec pluribus aliis, se conspicuum dederit Servator, adventum revocatus? iterum hic audiat Apostolum, quando non omni populo, sed certis tantum testibus - -, quos DEUS ad hoc sigillatim delegerat, conspectum fuisse, subjungit. Itaque nos ad voluntatem & sapientiam divinam unice remittit. Præterea JESUM resuscitatum apparuisse infensissimo, tunc apud Christiani nominis hosti, Saulo, Acta Apostolorum Cap. IX. 3. 4. 5. XXII. 8. sqq. disertè loquuntur. De cetero indignis beneficia obtulere noluit dulcissimus Servator, pro sua omniſcientia probe perspicuus, ne hac quidem ratione occæcatis incredulorum mentes, Pilati, Herodis, Caiaphæ, aliorum, expugnandas fuisse. Sufficit sane, ipsos milites Romanos resurrectionis Christi egisse testes, Matth. XXVII. 11. & a Pontificibus & Senioribus pecunia corruptos esse, ut dicerent, discipulos noctu venientes, suffuratos eum esse, illis dormientibus, v. 12. 13, quare v. 15. extat: *Ipsè (custodes) accipientes argenteos, fecerunt, sicut edocti sunt, & divulgatum est verbum hoc apud Judæos, usque ad hodiernum diem.* Comparatur, qui hanc objectionem a Woolſtono, pariter allatam, profligat, Anonymus Anglus, in Tract. *An Enquiry into the Force of the objection made against the resurrection of Christ, from the circumstance of his not appearing openly to the Rulers and people of the JESUS after he rose from the Dead.* Spinoza vero tela retulerunt, præter allegatos, Buddeum l. c. pag. 1089 seq. & Neumannum l. c., B. Zachar, Grapius in *Christologia controversa*, Qu. 20 p. 63. sqq. Job. Colerus von der Wahrh

Wahrheit der Auferstehung Jesu Christi, wieder Spinoza p. m. 26. sq. ex versione Kableri. Adde B. Engelschallii Prajudicia vite, Part. II. p. 779. seqq. Pedem nunc promoveamus oportet ad recentioris ævi irrisorem, THOMAM WOOLSTONUM, Anglum, cujus vitam, fata, scripta, post alios, persequitur D. D. Christian Gottlob Jecherus in *Examine Paralogismorum Thoma Woolstoni de Miraculis Christi*, Dissert. I. Cap. I. p. 5. lit. B, & in *Supplemento Examinis, Dissertationis III. subjuncto*, § II. pag. 46. Hunc Woolstonum, ea, dicente Jochoero l. c. Dissert. 3. §. I. p. 1, dementia cepit, ut omnia, quæ sanctissimi Historici de Christi miraculis tradunt, hæc proprie, sed allegorice, & mystice, de operibus in regno gratiæ & ecclesia olim faciendis, esse intelligenda, contendat, omnesque nervos intendat, ut paradoxa sententiæ stabilienda gratia, probet, ista, quæ in sacris literis leguntur, a Christo nunquam fuisse edita. Sed cum argumentorum istorum debilitatem & imbecillitatem ipse, ut videtur, sentit, sententiam repente commutat, atque ea, quæ in sacro Codice narrantur, præstitisse Christum equidem, concedit, sed veri nominis miracula ista dici posse, constanter negat, atque quod vel naturalibus mediis, vel magicis, vel fraudibus cuncta ista adscribi debeant, conquisitis undique ratiunculis, probare allaborat. Hinc neque miraculo resurrectionis Christi ipsius pepercit, idem cum Celfo, Spinoza, aliis, inflans cornu, in the sixth Discourse on the miracles of our Saviour, in *View of the present Controversy between infidel's and apostates*, i. e. in sexto Discursu de Miraculis Servatoris nostri, respectu præsentis controversiæ inter infideles & Apostatas. Adeo nimirum omnis frons perit mortalium, quos tellus unquam tulit, proffigatissimo, ut victoriosam Servatoris resurrectionem in figmentis Discipulorum fraudibusque referre, eandemque nullo non modo falsitatis postulare audeat. Sed turpiter se fatis dat levis armaturæ miles. Tantam enim ferentiam, tantam hilaritatem, tantam sinceritatem aperta, quibus, se testes esse resurrectionis Christi, profitentur, verba Apostolorum spirant, ut suspicio fraudum ac imposturarum omnino exulet. Hunc Jesum, ajunt, suscitavit Deus, cujus nos omnes sumus testes, Act. II. 32, item: Auctorem vitam interfecistis, quem Deus excitavit a mortuis, cujus nos sumus testes, Act. III. 15, It. Deus docuit Jesum manifestum fieri, non omni populo, sed testi-

testibus praelectis a Deo, nobis, qui comedimus & combibimus cum ipso, postquam ipse resurrexit ex mortuis, Act. X. 40. 41. Adde Act. I. 22. Finge autem, hos testes omnes consensisse in fraudem, saltem ut Magister ipsorum melioris vitae particeps censeretur, quo, queso, emolumento id fecissent? quo mentiendi pretio, qua vel honorum vel praeiorum expectatione? Nam predicando, Jesum resurrexisse a mortuis, in omnium odia incurrebant, accersebant sibi omnia mala, quae alioquin vita nostra refugit, dedecus, paupertatem, tormenta, mortem, una solum spe suffulti, quod post hanc vitam futuri sint cum Christo, Phil. I. 23, egregie scribente B. Neumanno l. c. p. 156. Obgannit quidem, ut fucum „Helenæ suæ illiniat, lapidem, monumento Christi advolutum, „sigilli impressione communitum fuisse, Matth. XXVII. 66, hac finem, ut vi solennis eapropter initi pacti, Sacerdotes ex una, „& discipuli, ex altera pacipientium parte, die a sepultura tertio, „signum illud rumpent, visuri: An exanime Christi corpus „adhuc in conditorio suo delitesceret, an non? Hanc vero conventionem a discipulis haud esse servatam, sed sigillo ante praestitutum tempus vim factam, atque sic funus nequiter surreptum, „ Enim vero non possunt non tam splendidæ nugæ tussim cuilibet movere atque gravedinem, nam inepte pactum comminiscitur nugivendus, quod ne per febrim quidem in mentem venit Sacerdotibus, aut in mentem venire potuit discipulis. Et quomodo his, metu velut exanimatis, appositum rumpere sigillum, fuisset integrum, cum sepulcrum vigilum custodiretur cura, Matth. XXVII. 66. Denique devolutionem magni lapidis, adeoque etiam fracturam appositi sigilli, angelicæ virtuti acceptam esse ferendam, memoriæ prodidit Scriptor divinus, *Matthæus Cap. XXIX. 2.* Qui ergo imposturæ dica hic scribi potest Christi discipulis? Novum adhuc dicacitatis Woolstonianæ specimen afferre in medium non pigebit, ut, Ephesiorum instar, eum arma non nisi in lingua habere, dilucide pateat. „Servatorem nostrum, inquit, disertis pronunciaffe verbis, se „tertia die resurrecturum a mortuis, *Luc. XIII. 33.* & alibi, eventum autem huic asseverationi non respondisse, quia monumentum citius fuerit apertum, liberque in illud jam ante tertium

„tiam diem patuerit ingressus, artificiosam ergo exinde elucere „fraudem.„ At vero fumum vendit maleficus homo, ex Apollinis velut tripode pronuncians, prædictionem Christi, qua tertiae die ex sepulchri antro proditurum prædixerat, fefellisse, & conditorium jam ante illum temporis articulum patuisse. Contrarium enim cuilibet, rem penitius consideranti, nullo apparebit negotio. Die nimirum *Veneris*, ante Solis occasum, exanime Christi corpus tumulo illatum esse, tum insequenti *Sabbathi* die ibidem tuto quievisse, & tertia, qui *Solis* erat, die, in lucis iterum prodiisse auras, sanctorum Scriptorum monumenta affatim condocent, *Matth. XXVII. 57. 62. Cap. XXVII. 1, Marc. XV. 42 sqq. Cap. XVI. 1. seqq. Luc. XXIII. 54. Cap. XXIV. 1. 2. Joh. XIX. 42. Cap. XX. 1.* illustrabo dicta simili quodam. Si Amicus aliquis, invisens alterum, adveniret die veneris vergente ad finem, permaneret per integri Sabbathi decursum, & discederet mane diei Solis. Annon tunc tertia abiisse die, propitia dici potest veritate? Ita etiam comparatum esse cum quiete corporis Christi in tumba, adeoque illud tertia, post sepulturam, luce carceribus hifce exiisse, æquus facile concedet arbiter. Comp. *Joh. Pearsonii Expositionem Symboli Apostoli Artic. V. pag. m. 459 seqq.* Plura pestiferæ mentis specimina excutere præfixus non patitur scopus, quare cupidum Lectorem remittere placet ad cordatos, qui Woolstonianas profligarunt copias, Scriptores, *Richard Smalbroke*, Episcopum S. Davidis, in *A Vindication of the miracles of our blessed Saviour, in wick Mr. Woolston's discourse on them are particularly examin'd, &c.* *Georg Wade in two Discourses: the first: An Appeal to the miracles of Jesus &c. the second, a demonstration of the Truth and Certainty of his Resurrection from the Dead.* *Thomam Ray in A Vindication of our Saviour's Miracles in Answer to Mr. Thom. Woolston, Tomo II., Thom. (non Wilhelm, uti in rubro versionis Germanicæ de Anno 1736. positum conspicitur, vid. die Hamb. Ber. Anno 1737. pag. 110.) Scherlock in the Tryal of the Witnesses of the resurrection of Jesus, qui ipse libellus egregius in linguam Germanicam transfusus prostat, sub tit. Gerichtliché Verhör derer Zeugen der Auferstehung Jesu, 8. ubi vid. inpr. p. 125. sqq, ex Nostratibus, M. Georg. Paul. Strobel in der Bertheidigung der Wunderwerke des Herrn Jesu, wieder Woolston, cum, *Præf. Læscheri Part. I. p. 4. seqq,* ut alios silentio prætermittam. Amœno sic jubare coruscet*

):():(

scat

sciat veritas triumphalis Christi resurrectionis, atque adeo non
 infensissimorum offusis intercipitur nebulis, ut potius clariori-
 bus exsplendescat radiis. Et quia id ita se habet, rite ac re-
 cte celebrari festum resurrectionis Christi, quod Paschale audire solet,
 modo pie celebretur, quis ambigeret, vocaretque in dubium? Be-
 ne Pearsonius in Expositione Symboli Apostolici Artic. V. pag. 472, Ut
 Judæi, inquit, etiamnum celebrant feriam septimam Hebdomadis,
 quippe nullam unquam majorem liberationem illa Ægyptiaca editam au-
 rumantes; Ut Mahometani feriam sextam religiose observant, in me-
 moriam Mahometi, a Mecca profugi, majorem ipso Salvatore nostro Pro-
 phetam aestimantes, utque hi dierum horum peculiari celebritate ab aliis
 religionibus discernuntur; Ita omnes, qui Christianam fidem profite-
 mur, ad Ecclesiam Christi pertinere cognoscimur, feriam hebdomadis pri-
 mam, qua Christus a mortuis resurrexit, celebrando, atque ab omnibus qua-
 rumcunque Religionum aliarum Professoribus distinguimur. Quapro-
 pter nemo non omnem eo, blanda Spiritus S. aura afflante, mo-
 veat lapidem, eo cunctos intendat nervos, oportet, ut jucundis-
 simum Resurrectionis Festum pie celebret, peragatque. Si autem, quo-
 modo celebratio ista pie sit instituenda, laudabili aliquis ardore scire
 avet atque cognoscere, responsionis loco teneat, præ ceteris ne-
 cesse esse, ut insignem de victoriosa Servatoris Resurrectione articu-
 lum, sicut alias, ita etiam levissima presentis festi tempestate, pensi habe-
 amus, ruminemus, cordi inscribamus, atque nunquam a sincera ejus pro-
 fessione dimoveri nos patiamur. Næ illum ipsum in primariis fidei ar-
 ticulis, ad salutem scitū summe necessariis, jure numerari meri-
 to, disertæ sacrarum paginarum monumenta loquuntur. Au-
 scultemus magnum gentium Doctorem, Rom. X. 9: *Quodsi con-
 fessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod
 Deus ipsum suscitaverit ex mortuis, futurum est, ut salveris.* En! ad
 æternæ salutis consecutionem credere decet corde, & confiteri
 ore, Servatorem nostrum a mortuis esse suscitatum. Quid ha-
 beri posset momentosum magis? Audiamus eundem I Cor. XV.
 14: *Si Christus resuscitatus non est, vana ergo predicatio nostra est, vana
 vero etiam fides vestra, & v. 17: Si Christus non resuscitatus est, vana est
 fides vestra. Adhuc estis in peccatis vestris.* En! cadente veritate
 resurrectionis Christi, caderet, pessumque iret tota nostra fides
 Christiana, imo peccatorum adhuc vinculis maneremus con-
 stricti, Stante ergo resurrectionis veritate, immota quoque
 stat

stat fides nostra religioque Christiana, peccatorum pariter vinculis liberati sumus. Quid resurrectione Christi conducibile magis? Quid consequenter doctrina de resurrectione Christi, tantæ utilitatis nuncia, haberi posset ponderosum magis? Hinc prædictum de resurrectione Christi articulum omni fidelitate inculcare satagebat idem magnus *Paulus*, inquit *1 Cor. XV. 3. 4. Tradidi vobis in primis, quod etiam accepi, quod Christus mortuus sit pro peccatis nostris, juxta Scripturas, & quod sepultus sit, & quod NB. resuscitatus sit tertia die, juxta Scripturas, & rel.* Et ecce! hunc articulum inculcans, inculcabat verbum *Evangelii*, per quod salvamur v. 1. 2. Hinc in *symboli Apostolici articulo secundo*, non duntaxat extat scriptum: *Credo in Jesum Christum, qui crucifixus est, mortuus, & sepultus, sed quoque mox adjectum legitur: Tertia die resurrexit a mortuis.* Hinc *Augustinus Homil. 2. in Ps. C1. Opp. Tom. IIX. f. 250, Laus fidei Christianæ est, ait, credere resurrexisse Christum, & sperare, se resurrecturum esse per Christum. Hac est laus fidei, quæ notabilia verba jam excitare placuit in Programmate hujus anni passionali pag. 4.* Hinc singulis Dominicis *Templa nostra personant Cantico sacro: Wir gläuben all an einen Gott, et sic etiam hac mem. orabili ejus portione: Am Creuz ist Er gestorben, und vom Tod wieder auferstanden durch Gott.* Enim vero dum *Paschali* hac festivitate, memorizæ resurrectionis Christi solenni antiquitus dicata, primarium de Resurrectione Articulum, sicque in simul palmarium Servatoris dulcissimi opus, atque beneficium, de quo articulus iste præcipit, hilari recolimus animo, incumbi nobis, pie præsens festum agituris, *Jesum nostrum, gloriose a mortuis suscitatum, salutari ad nos pertrahere fide*, dicendo cum dilectissima sponsa *Cant. II. 16. Amicus meus, meus est, & ego illius sum.* Indice id digito una indigitat *Paulus*, quemlibet sic compellans, *2 Timoth. II. 8: Memento JESU CHRISTI, qui suscitatus est ex mortuis, ex semine Davidis, juxta Evangelium meum.* Ita enim perennem *Jesu Christi* reminiscenciam vult custodiri, ut ipsum *Benefactorum summum*, una cum saluberrimo cruciatuum intensissimorum, ac subsecutæ resurrectionis fructu, inde in nos redundante, in exoptatum nostrum convertamus usum. Sane *resuscitatus is est propter justificationem nostram, spectatam tam ratione confirmationis, quam collationis Rom. IV. 25, ut scilicet justificationis & remissionis peccatorum acquisitio, per satisfactoriam*

riam Christi mortem facta, confirmaretur, & applicatio quoque actualisq; justificationis collatio obtingere nobis posset. Comp. B. *Godofr. Hoffmanni Synopsis Theol. Loc. de Statibus Christi § V. p. m. 563. ed. in 4.* Jam autem impossibile est, actualem remissionis peccatorum applicationem ac collationem à DEo nobis concedi, nisi ipsi met salutari fide, velut avida quadam manu, Redemptorem nostrum suavissimum, partaque ejus beneficia, & in his etiam acquisitam & promissam transgressionum nostrarum condonationem, in nos fideli derivemus applicatione, atque transferamus. Ut ergo tam incomparabilis felicitatis reddamur compotes, ac fœdorum criminum remissione beemur, fide salutari opus esse, laudatissimus Petrus diserte indicat *Act. X. 43.* Mutuo olim inter se certamine, Regis *Davidis* causa, contendisse *Viros Juda & Viros Israelis* accepimus *2 Sam. XIX,* illorum concione eum sibi vindicante, dicendo: *Propinquior mihi Rex est, v. 43;* horum autem choro illum sibi asserente, respondendo: *In Davide ego (habeo plus) præ te.* Utinam de *Davide spirituali,* & penu diuitiarum ejus spiritualium, inter se velut decertarent filii hominum, atque unus quasi præ altero jucundissimam ipsius possessionem anhelaret, hanc ingemirando vocem: *Æque propinquus Rex est mihi, quam tibi. In Davide spirituali ego si non majus, æquale tamen habeo jus.* Resuscitatus is est non solum propter tuam, sed etiam meam justificationem & salutem. Ego itaque, æque actu, JESUM suscitatum salutaris fidei lacerto circumplectar, nec dimittam prius quam mihi ex voto benedixerit *Gen. XXXII. 26.* Ita si ad Servatorem nostrum optimum, uti alias, ita pariter hisce amœnis Paschatos feriis nos applicaverimus, omnino *insimul letari oportet insigne incomparabili resurrectionis gloriosissime fructu.* O quanta voluptate primi Christiani resurrectionis Christi commemoratione demulcebantur, perfundebanturque! Unus, festo Paschali, obviam factus alteri, sequenti eum impertiebat salutatione: *Χριστὸς ἀνέστη, Χριστὸς ἀνέστη, καὶ ὡφθη Σιμωνι,* *Vere resurrexit, & Simoni apparuit,* quem morem adhuc hodie in Ecclesia Græca vigere, relatum legitur apud *B. Jo. Mich. Heineccium, in der Abbildung der Griechischen Kirche, Part. III. p. m. 233. sq.* Et cur non in sinu gauderent genuini Christiani nominis Professores, cum ex resurrectione Christi, tanquam fonte vivo, innumeri fructus atque

atque commoda, rivulorum instar amœnorum, in nos dimanent. Næ! exoritur inde *convictio cordis nostri de victoria Christi ab hostibus spiritualibus reportata*. Si enim mortis vinculis mansisset constrictus, irati Numinis fervor non fuisset sedatus, *Diabolus* potius, *mors*, atque *infernus* victoriam sibi gratulari possent. At quoniam Servator noster gloriose surrexit, reddimur quam certissimi, vehementissimam DEI iram desævuisse, *Diabolum* vero, *mortem*, & *infernum* luccubuisse. Quis ergo non lætitia gestiret, ovaretque, exclamans ex *Apoc. V. 5*: *Ecce! vicit leo, qui est ex tribu Juda, radix Davidis*. Exoritur inde plena facultas ac potestas, solennem de hostium spiritualium caterva agendi triumphum, ut pote *Diabolo*, quem triumphator noster exarmavit *Col. II. 15*, peccato, quod reatu nocendique virtute privavit, *1 Cor. XV. 17*; maledictione legis, cujus amotionem Christus nobis promeruit *Gal. III. 13*; inferno ac morte aeterna, quorum fauces occlusit, *Hos. XIV. 14*. Quis ergo non gaudio delibutus intonaret *1 Cor. XV. 54. 55*: *Absorpta est mors in victoriam*. Ubi tuus, *mors*, stimulus? Ubi tua, *inferne*, victoria? Exoritur inde *justitia a Christo parte, pacis, salutis aeternae, similitumque bonorum ineffabilium, ad nos derivatio*, quippe quæ Servator resurgens, ex sepulchro secum attulit, inque lucem velut protraxit: Quem enim fugit, eum discipulorum amantiſsimorum concioni apparentem, pacis spiritualis munus, hem quam aureum, aetutum obtulisse, dicendo: *Pax vobis, Luc. XXIV. 36, Job. XX. 19. 21*. Quis ergo non læto proclamaret ore: *Quis est, qui condemnat? Christus est, qui mortuus est; magis vero etiam, qui resuscitatus est, & rel. Rom. IIX. 34*; Exoritur inde carnis nostræ resuscitatio ad vitam aeternam, unde Christus audit *primitia dormientium. 1 Cor. XV. 20*. Sicut enim, primitiis hordei Domino oblatis, plena mox inſequabatur mesſis; ita etiam, postquam Christus, primitiæ velut dormientium, à mortuis surrexit, certo plena quasi mesſis resurrectionis mortuorum se manifestabit. Comp. *Lundii jüdische Heiligthümer, Lib. V. Cap. XV. p. m. 1144. ed. nov.* Quis ergo non jucundam tolleret vocem? *Si Christus predicatur, quod ex mortuis resuscitatus sit quomodo dicunt quidam inter vos, quod resurrectio mortuorum non sit? 1 Cor. XV. 12*; Exoritur inde *exhilaratio piorum intensissima*, ut patet exemplo discipulorum Domini *Job, XVI. 22, Cap. XX. 10*. Lutherum, anxietatum velut fluctibus strepentibus, mensæ, cui assidebat, inscripſisse; *Vivit!* sicque in-

timo perfusum esse solatio, memoriæ proditum est. Quis ergo non Jobi ingeminaret epinicius? Ego novi Redemptorem meum viventem, & rel. Job. XIX. 25. Egregie Augustinus Sermone CXXXVI. Opp. Tom. X. f. 196. a scribit: Videtur mihi hac dies ceteris diebus esse lucidior, Sol mundo clarior illuxisse, astra quoque omnia vel elementa letari. & quæ patiente Domino, proprium lumen retraxerant, & noluerunt Creatorem suum aspicere crucifixum, ecce nunc victorem illum, & ab inferis resurgentem, novo claritatis suæ venerantur obsequio. Credit cælum, credit terra, & sagena, quæ totum mundum piscata est, Judæos tenere non potuit. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea. Lateri Augustini jungere collibet Bernardum de passione Domini, Opp. col. m. 1161.: Nec putet quisquam, quod resurrexerit ad gaudium solis discipulis, imo & resurrexit nobis, & toti mundo, beatificans omnes, qui, quamvis non videant, credunt tamen, ipsum passum fuisse propter delicta nostra, & resurrexisse propter justificationem nostram, quibus docemur, quoniam si socii fuerimus passionis, erimus & resurrectionis, & ut non dubitemus, mortalia corpora nostra resurrectionis gloria sublimanda, cum caput nostrum morte turpissima condemnatum, resurrexisse credamus. Ita autem læto hoc resurrectionis festo lætari oportet, ut Servatori nostro & pro hoc resurrectionis beneficio, in certissimum Nostri emolumentum vergente, immortales persolvamus gratias, non ore tantum, sed etiam opere, atque ingenuis sinceræ obedientiæ speciminibus peragenda. Ipse enim pro omnibus mortuus est, ut, dum vivunt, non amplius sibi ipsis (juxta proprium cordis ductum) vivant, sed ipsi (in honorem ejus) qui pro omnibus mortuus est, & NB. resuscitatus. Quare, qui pie præsens Paschatos festum celebrare vult, necesse habet, resurrectionem Christi ex sepulcro, animæ suæ proponere, tanquam symbolum resurrectionis suæ spiritualis ex tetro flagitiorum sepulcro, ut resurrectionis Christi gloriosæ ponderatione commoveri se patiat, ad relinquendum peccatorum antrum. Menti nostræ id clare insinuat Apostolus Paulus Rom. VI. 4. scribens: Sepulti sumus cum ipso (Christo) per baptismum in mortem, ut, sicut resuscitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, sic etiam nos in novitate vitæ ambulemus. Apposite prælaudatus Augustinus Sermone CXXI. de tempore, Opp. Tom. X. f. 199. b. Crucifixus est, inquit, Christus, ut in cruce ostenderet veteris hominis nostri occasum. Et resurrexit, ut in vita sua ostenderet nostræ vitæ novitatem. Abhorreat itaque oportet ab omni nequitia, impietatisq; commercio, qui sancta celebritate Festum hoc transigere

gere discipit. Quare Apostolus unumquemque sic compellare non veretur *Eph. V. 14.*: *Expergiscere, qui dormis, & surge ex mortuis, ut illucescat tibi Christus.* Add. *Apoc. XX. 6.* Denique ad piam hujus Festi celebrationem requiritur, ut *latissima Christi resurrectio*, post immensum variorum cruciatuum, tormentorum, divexationum, cumulum secuta, *lucidissimam nobis praebeas imaginem felicissimæ Catastrophes* piorum, qua post nubila oriuntur júbila, ut ex densissimis, quæ nonnunquam circumstant, calamitatum tenebris, pro voto emergant. Digitum eo intendere videtur indicem divinus Propheta *Hoseas, Cap. VI. 2.* cum sic loquentem introducit penitentium chorum: *Vivificabit nos post biduum, (&) in die tertio eriget nos, ut vivamus coram ipso.* Sane Servator noster, in sæcula benedictus, per breve temporis spatium crucis incommodis obnoxius, & tum, tertio currente die, cunctis arumnarum procellis liberatus fuit. Ita pios sæpe tristia manent fata, sed momentaneum est, quod excruciat, & nonnunquam expectatione citius optatum calamitatum finem indipiscuntur, quare considerata illorum ipsorum vox sic prorumpit ex *Pf. LXXIII. 23, 24, 25*: *Ego semper (fui) tecum, apprehendisti manum dexterae meae. In consilio tuo ducis me. Et post (cum) gloria acceptas me. Quis mihi in caelis, & præter te non delector in terra.* Lugubrem Parasceves diem jucundissima excipit Paschatos lux. Ita, qui lugubria prius induere debent, post amœno lætitiæ die hilarantur, quod dissipatis spissis luctus nebulis, efficacissimis omnigenæ prosperitatis radiis a supremo refocillantur Numine. *Nam in vespera pernoctabit fletus. Sed mane erit cantus, Pf. XXX. 6.* *Et momentanea levitas afflictionis nostræ, juxta excellentiam in excellentiam, æternum pondus gloriæ operatur nobis, 2 Cor. IV. 17.* Compara *B. Sperlingii Fortsetzung der Gewissens-Scrupel, Part. I pag. m. 424 sqq.* ubi hanc excutere atque persequi amat Quæstionem: *An salva conscientia solennis festi Paschalis celebratio omitti queat?* Præsentis enim scriptio- nis scopus jubet abrumpere telam.


Id tamen adhuc restat, Cives O. O. *honoratissimi!* ut qui modum pie celebrandi sanctissimum hoc resurrectionis Christi festum, succincto sermonis filo, percepistis, velis remisque eo contendatis, ut omni, per Spiritus S. assistentiam, abstineatis feriarum sacrarum profanatione. In specie ad *Vos. Dn. Studiosi*, quos in oculis fero, mea sub finem se convertit Oratio. Fuerunt


NON-


nonnulli ex Vobis, qui repagula legum perrumpere non reformidarunt, & hinc in ordinem redigendi erant, ac ad frugem perducendi. Nolite eorum insistere vestigiis, nam *beatus vir, qui non ambulat in consilio Impiorum, & in via peccatorum non stat, & in sede irrisorum non sedet, Ps. I. 1.* Componite vitam vestram juxta legum divinarum ac humanarum normam, ne nomen Studiosorum incipiat male audire, imo plane sordere. Ex tabula publica promulgatum nuper est novum *Magistratus Acad. Edictum*, quo vetera statuta salutaria renovantur, ac præterea, quæ pro præsentis rerum facie videbantur necessaria, paterna monentur cura, in quibus locum quoque occupat jussu plane serium, *de abjiciendis gladiis solito inusitatus in acumen abeuntibus, & sicariorum potius instrumentis, quam Studiosorum ornamentis; ut & de non affligendis ac are emungendis novitiis, ad Academiam nostram accedentibus*, ut alia silentio prætermittam, ibi satis clare legenda. Promptum ergo huic mandato morem gerite, ne mala vobis ipsi attrahatis, ut cæcias nubes. De cætero timore DEI nihil habeatis prius aut antiquius. *Nam hoc (timere DEum) omnis hominis est, Eccl. XII. 13.* Finiam hæcce heroicis *Lactantii*, vel *Vernantii*, versibus, *Opp. Lactantii, p. 751:*


*Tertia lux rediit, surge sepulte meus.
Non decet, ut jaceant humili tua membra sepulcro,
Neu pretium mundi vilia saxa premant.
Indignum est, cujus clauduntur cuncta pugillo,
Ut tegat inclusum, rupe vetante, lapis.
Lintea tolle, precor, sudaria linque sepulcro.
Tu satis es nobis, & sine te nihil est,
Solve catenatas inferni carceris umbras;
Et revoca sursum, quicquid ad ima ruit.*

P. P. Sub Sigillo Rectorali,
Ipso Paschatos Festo, An. MDCCXL.









the scale towards document

9) 58

artificiofam ergo exinde elucere
vendit malefanus homo, ex A-
ians, prædictionem Christi, qua
proditorum prædixerat, sefellisse,
m temporis articulum patuisse,
penitius consideranti, nullo ap-
Veneris, ante Solis occasum, exa-
atum esse, tum insequenti Sabba-
tertia, qui Solis erat, die, in lucis
am Scriptorum monumenta affa-
57. 62. Cap. XXVII. 1, Marc. XV.
XXIII. 54. Cap. XXIV. 1. 2. Joh.
o dicta simili quodam. Si Ami-
dveniret die veneris vergente ad
Sabbathi decursum, & discede-
ne tertia abiisse die, propitia dici
paratum esse cum quiete corpo-
llud tertia, post sepulturam, luce
facile concedet arbiter. Comp.
i Apostoli Artic. V. pag. m. 459 seqq.
na excutere præfixus non patitur
em remittere placet ad cordatos,
copias, Scriptorum, Richard Smal-
A Vindication of the miracles of our
on's discourse on them are particular-
wo Discourses: the first: An Appeal
ond, a demonstration of the Truth and
be Dead, Thomam Ray in A Vindi-
nswer to Mr. Thom. Woolston, Tomo
bro versionis Germanicæ de An-
id. die Hamb. Ber. Anno 1737.
of the Witnesses of the resurrection of
s in linguam Germanicam trans-
Verhör derer Zeugen der Aufer-
p. 125. 599, ex Nostratibus, M.
Bertheidigung der Wunderwerke
on, cum, Præf. Læschneri Part. I. p. 4.
tam. Amœno sic jubare coru-
):():(
scat